



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1630**

De continua repræhensione suiipsius. Can. IX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

omni momento inquinatis vos, quare non rursus & lauetis vos? Siquidem quicquid agitis, vultis, desideratis, cogitatis & tractatis, quidquid inter vos retinetis, circa quaecumque denique occupamini, quorum ego non sum intentio ac finis, hæc omnia sunt ut pelles aut stercora, quibus oblinuntur oculi vestri, ne omnino videatis, aut minus videatis & me & vosipsos. Igitur tu ter quaterve aut quoties volueris, consuetudinem tibi facias quotidie ad conscientiam examinare eundi pro venia petenda peccatorum, utque simul videas quid interea in corde tuo versatum sit. Hæc occasione multa reperies deffenda, multa delenda, quæ alioqui in obliuionem sine dolore abiissent.

*De continua reprehensione sui ipsius.*

CANON IX.

**N**IHILOMINVS OCVLVM debes habere vigilantissimum ad teipsam, ut illic sentias quid tibi deficit, quid assit, quid solliciter, quid incidat, quid denique moretur in te vitiosum. Illudque mox ut nasci cœperit, mox ut senseris, elimina, teque repræhendas ac doleas: mihique conueraris tuam infirmitatem, instabilitatem, malitiam & turpitudinem. Quapropter teipsam indefinenter considera, ac sine simulatione diiudica. In omni acta, in omni verbo, in operibus quoque ac studiis pijs debes teipsum discutere, quia nihil purum, nihil sanctum, nihil ex omni parte integrum in te inuenies. Quicquid optimum apparet, si rectè consideras, inuenies quod summopere in eo sit lugendum. Dic mihi, si omnia que in vita egisti tua vnquam, appenderentur in statera, an aliquid, de quo pronunciare posses, quod bonum foret, inuenies? Minime. Debes igitur teipsam in omnibus repræhendere, & sanctæ tranquillæque compunctionis materiam in teipsa quarere, gemendo, quod bona (quæ si facis) etiam non sunt ea integritate, non ea sinceritate, non ea intentionis puritate, nec eo deuotionis feruore, quo fieri deberent, facta. Plurimum quod multa negligentia, multa vitia, multi defectus se interspergunt, & te quotidie inquinant: ut merito omnis etiam iustitia tua panno menstruatæ debeat comparari. Semper ergo teipsam arguas, nec sine increpationis zelo, sine dolore genuitue compunctionis transire permittas, quoties in te depræhenderis quamcumque inutilem cogitationem aut otiosum sermonem, aut temporis breuissimi omissionem, aut inordinatam affectionem, aut sensus alicuius delectationem in qua requieuitisti: aded ut vita tua sit iugis compunctio. Hæc verò omnia facias per conuersionem cordis tui ad me accedens, ut mecum omnia tractes, mihi necessitatem tuam exponas, me contra te inuoces: remedium, consilium, auxilium à me postules: teque ad extremum relinquens, totum mihi offeras.

*Verecundia superba que fit: propter que debeat quisque merito erubescere, & in quibusnam debeat homo seipsum continuè repræhendere.*

CANON X.

**S**VNT autem quotidiana quedam, in quibus ferè omnes delinquitis, quæ merito tibi compunctionis præbent occasionem, & continuè erubescendi, teipsam repræhendendi, humiliandi que ministrare debent materiam. De his seruius mecum

Bona

Repræhendere uti quisque seipsum debeat in omnibus. Esai. 64.

Vita hominis ut debeat esse iugis compunctio.